

28

et palis sacrificialibus, sicut in Provincia Piceni. Quantum olim ille quoquo versus patuerit, inquirere, neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium; hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, præclarum lapidem, quem illustramus, terminum fuisse, unum aliquem ex iis, quos Frontinus memorat, ex S. C. a M. Terentio Varrone Propratore positum, qua III Viri P. Licinius, Ap. Claudius, Cajus Gracchus, assignari, dari, agri, jura Pisarenfis Coloniarum, multis ante annis, statuerunt.

Equidem C. Flaminius Tribunuspl. is, qui Consul ad Trafymentum fuit interfectus, ut habet Cicero in Bruto c. 14. legem de agro Gallico, et Piceno viritim dividendo tulit: & de Invent. lib. II. c. 17. Discrepant de anno Polybius lib. II., & Cicero de Senect. cap. 4. Perlatam tamen legem fuisse, & agrum divisum, ex Cicerone, & Varrone animadvertit Sigonius lib. II. cap. 1. de antiq. Jur. Ital. Ut ut illud fuerit, certe A. U. DLXX. Pisaurum Colonia primum deducta fuit a III Viris Q. Fabio Labeone, & M., & Q. Fulvius Flacco, & Nobiliore. Pisarensem regionem divisam tunc fuisse, ut Coloniarum agri modus assignaretur, Livius testatur lib. 39. c. 44. Sena jugera in singulos data: dividerunt agros, Coloniasque deduxerunt iidem III Viri. Pertica etiam Pisarenfis a Coloniarum Conditoribus constituta fortasse tunc fuit; neque vero affirmandum id omnino est; aliquando enim, qui Colonias deducebant, eam dumtaxat agri partem metiebantur, limitibusque claudebant, quarum Coloniarum dividenda erat, ut ex Scriptoribus Rei Agrariae manifesto constat. Sive tamen pertica Pisarenfis determinata tunc fuerit, ejus vero memoria (\*) perierit; sive non, univrsum agrum Pisarensem, terminis positus, finitum fuisse a III Viris C. Lucinio, Ap. Claudio, & C. Graccho nostra docet Inscriptio.

Hæc res quemadmodum ceciderit, breviter explicabimus. Legge Liciniæ, quæ ne quis plusquam quingenta agri jugera possideret, cavebatur, libidine divitum pene oblitteratâ, Ti. Gracchus Tribunuspl. Italiae solitudini, populique egestati succurrendum ratus, legem Semproniam promulgavit, quæ agris contra leges occupatis, iniusti possessores cadere jubebantur. Notum est quantas turbas ea lex exciverit, perlata tamen est, postquam M. Octavio Collegæ, Tribunatum Gracchus abrogavit.

(\*) Nondum enim in Tabulario publico omnium Regionum accuratæ dimensiones æri insculptæ servabantur, quod opera Balbi Menisoris primus instituit Augustus.